

MELITA CLASSICA

MELITA CLASSICA

Vol. 6

2019

*Journal of the
Malta Classics Association*

All rights reserved.

No part of this publication may be reproduced, stored in a retrieval system or transmitted in any form or by any means, electronic, mechanical, photocopying, recording or otherwise, without prior permission in writing by the publisher.

Melita Classica

Vol. 6, 2019

Text © Malta Classics Association
Design and layout © Book Distributors Limited

ISBN: 978-9918-21-107-4

Malta Classics Association,

The Department of Classics and Archaeology,
Archaeology Farmhouse, Car park 6,
University of Malta, Msida
classicsmaltasoc@gmail.com

www.classicsmalta.org

The Malta Classics Association Committee 2019

Honorary President	Prof. Joe Friggieri
Executive President	Ms Maria Giuliana Fenech
Executive Vice-President	Mr Samuel Azzopardi
General Secretary	Mr Steve Demarco
Treasurer	Mr Victor Bonnici
Members	Mr Jason Baldacchino
	Ms Jessica Farrugia
	Dr Jurgen R. Gatt
	Dr Carmel Serracino
	Prof. Horatio C.R. Vella
	Ms Melanie Zammit

***Melita Classica* Editorial Board 2019**

Editor	Dr Jurgen R. Gatt
Members	Prof. Horatio C.R. Vella
	Mr Victor Bonnici
	Dr Carmel Serracino

CONTENTS

The Malta Classics Association Committee 2019

***Melita Classica* Editorial Board 2019**

Editorial

Golden Age and Roman Land Surveying

Levente Takács

11

**The 'Lost' 1751/52 and 1752/3 Collegio Romano Lectures of
Carolo Benvenuti, SJ**

Jurgen R. Gatt

23

From Skyros to Paris

Gabriel Zammit

38

The Parish Archive of Żebbuġ Gozo

George Francis Vella and Fr. Geoffrey George Attard (trans.)

57

**Lectiones excerptae ex documentis ineditis in archivis
Melitensibus depositis cura Victor Bonnici**

60

**Lectiones excerptae
ex documentis ineditis
in archivis Melitensibus depositis
cura Victor Bonnici**

I

**De palliolo Don Brandani Caxaro
auctoribus Not. Alexandro Habel et Don Brandano Caxaro aliisque
anno 1563**

A(rchivum) I(nquisitionis) M(elitensis), Proc., Prae 1B.

[f. 4]

Sentencia Sancti Offitii contra Donnum Brandanum Caxaro.

In nomine Domini nostri Jesu Christi, Amen.

Nos Frater Dominicus Cubelles Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Melivitanus et hereticae et apostolicae pravitatis Inquisitor.

Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus provida dispensatione edocta quomodo sancte ambulemus ad evitanda omni studio, quae his diebus subhorta sunt diversarum heresum mala, nedum per semet ipsum sed etiam per eius Apostolos multifarie nos admonere dignatus est. *In novissimis temporibus venient illusores*, ait Apostolus Judas *secundum desideria sua ambulantes in impietatibus, hi sunt qui segregant semet ipsos animales spiritum non habentes*.¹ Cum plurimis igitur et fide dignis relationibus nostras ad aures pervenisset Presbiterum Brandanum Caxaro esse unum ex illis, qui multum proficient ad impietatem et sermo eorum ut cancer serpit, et os eorum loquitur superbiam, ipsumque per diversos errores ac impias hereses a communi coetu fidelium atque ab unitate Fidei Catholicae se esse segregatum. Idcirco ipsum in carcere Offitii Sanctae Inquisitionis trudi iussimus, si forte Dominus daret illi penitentiam ad cognoscendum veritatem, ut a Diaboli laqueis, a quo captivus tenebatur, resipisceret deinde per nostros Sanctae Inquisitionis ministros pluries cum examinari mandavimus, qui tandem post nonnulla periuria se infrascriptos articulos hereticos, falsos, scandalosos,

¹ *Jud. 1.18–19.*

piarumque aurium offensivos respuisse tenuisse et dixisse, proprio ore confessus est, videlicet, et primo:

quod in Hostia consecrata non erat verum corpus Christi; item quod confessio non est de iure divino sed de iure positivo; item quod non erat Purgatorium; item quod Homo non habet liberum arbitrium ad bonum, nisi ad malum; item quod bullae et indulgentiae Summi Pontificis nullius valoris sunt; item quod missae, orationes, et suffragia, quae celebrari solent pro defunctis non erant necessaria et quod ad nihilum valent; item quod Christiani non debent ad Sanctos et Sanctas recurrere nec illos invocare nisi solum Deum; item quod Christiani Sanctorum imagines venerari non debent nec illas in ecclesiis tenere; item quod sacerdotes matrimonium contrahere possunt absque dispensatione Summi Pontificis; item quod Summus Pontifex nulla habet potestatem neque auctoritatem nisi viveret modo, quo Sanctus Petrus vivebat.

NOS vero quia haec omnia mature discussimus volentes ad causae et causarum huiusmodi, nilque medianae expeditionem procedere, Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes per hanc nostram sententiam quam de Sacrae Paginae et iuris peritorum consilio pariter et assensu ferimus in his scriptis, pronuntiamus, sentiamus, decernimus, et declaramus in causa et causis predictis coram nobis pendentibus et quae versae fuerunt et vertuntur inter Magnificum Gulielmum [f. 4v] Habel iuris Vtriusque Professorem Promotorem Fiscalem et Offitii Sanctae Inquisitionis ex una, et presbiterum Brandanum Caxaro reum ex altera, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, predictum presbiterum Brandanum reum et culpabilem repertum ac confessum, hereticum fuisse et in premissis ab Ecclesia et Fide Catholica aberrasse, ipsumque propterea omnes et singulas censuras ecclesiasticas contra tales tam a iure et sacris canonibus quam etiam de super specialiter aeditis constitutionibus inflictas damnabiliter incidisse et incurrisse.

Et nihilominus ipsum qui ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae puro corde et fide non ficta se reverti ac de premissis ab intus doluisse profitetur ac veniam humiliter exposcit, exemplo Salvatoris nostri qui non vult mortem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat, ac etiam Ecclesiae, quae nunquam gremium claudit redeunti, ad omnes et singulos predictos errores et omnem aliam et quamcunque heresia in ecclesia Sanctae Mariae Annunciationis huius Novae Civitatis palliolo cruce domini nostri Jesu Christi hinc inde insignito indutur, quod etiam ipsum ad arbitrium nostrum super omnes eius vestes, ita quod ab omnibus videri possit [...] volumus abiurandum recipiendum et admittendum ac huiusmodi facta abiuratione ab omni excommunicationis vinculo, propter ea per ipsum incurso, si tamen id humiliter petierit, et iniuncta mandata servaverit, ac ut premittitur fide non ficta et sincero corde redierit, in forma Ecclesiae consueta absolvendum fore et esse ac recipi et admitti et absolvi libere mandamus.

Et insuper pro criminum predictorum satisfactionis pariter et ut caeteris transeat in exemplum, eundem presbiterum Brandanum Caxaro condemnamus ad poenas infrascriptas et primo: ad carceres per nos deputandos et ibi manendum ad arbitrium nostrum; item quod teneatur super omnes suas vestes apportare supradictum palliolum suprasignatum die nocteque nisi quando iacit in lecto; item suspendimus ipsum a Divinis per annos quinque et suspendimus eum a beneficiis et privamus eum omni gradu dignitate et offitio; item quod per tres annos debeat se in quolibet mense presentare suo ordinario; item quod per mensem debeat assistere in diebus festivis in Missa maiori ante altari maius et hoc in ecclesia Sanctae Mariae Annunciationis huius Novae Civitatis et per alium mensem in ecclesia Cathedrali Veteris Civitatis diebus ut supra; item quod teneatur per annos tres in qualibet hebdomada dare elemosinam pro celebratione unius Missae pro animabus defunctorum; item quod quolibet Dominico die vel festo solemni teneatur confiteri peccata sua confessori per [f. 5] Ordinarium seu eius Vicarium deputando, et Sacram sumere Eucharistiam; item quod semel in ecclesia cathedrali teneatur osculari pedes sui Ordinarii et manus omnium canonicorum in signum recognitionis potestatis Ecclesiae quam multum offendit; item quod teneatur recipere omnes bullos et indulgentias huc venientes vita sua durante; item quod teneatur habere in camera sua aliquas imagines Christi et Sanctorum; item quod per annum teneatur in quolibet mense semel confiteri peccata sua aliquo eum vidente; item quod per duos annos in qualibet sexta feria teneatur jeiunare et in casu infirmitatis teneatur dare aliquam elemosinam sibi benevisam, et in eadem sexta feria dicere flexis genibus septem psalmos paenitentiales cum letaniis et praecibus; item condemnamus ipsum ad scuta quinquaginta versus Nos et Offitium nostrum pro sustentatione Offitii.

Hanc autem nostram sententiam in ecclesia predicta sive in ecclesiis in quibus per nos ordinatum fuerit per Sancti Offitii nostri magistrum notarium vel aliam idoneam personam populo ad id convocato et congregato in aliquot die solemni alta et intelligibili voce, ita quod ab omnibus audiri possit, ipso presbitero Brandano presente; deinde immediate dicta sententia lecta predictum presbiterum Brandanum per se ipsum errorum suorum abiurationem alta et intelligibili voce legi volumus et mandamus itaque si unquam premissa sibi iniuncta minime observare vel aliis illis quomodolibet contravenisse compertur fuerit, poenis a jure sive quibusvis constitutionibus similibus inflictis eo ipso subiactat et puniri possit et debeat.

Et ita dicimus, pronuntiamus, sententiamus, decernimus, declaramus, admittimus, absolvimus, condemnamus, et privamus respective, poenam vero predictam in totum vel in parte remissionem commutationem et mitigationem ac exasperationem nobis in posterum reservantes prout reservamus omni meliori modo.

Ita est.

Dominicus Inquisitor qui supra.

Die Dominico hora decima xviii mensis Julii 1563.

Lata, lecta, et promulgata fuit et est supradicta sententia per me Alexandrum Habel Magistrum Notarium dicti Sancti Offitii in ecclesia Sanctae Mariae Annunciationis huius Novae Civitatis alta et intelligibili voce ac populo convocato ad id iuxta seriem et continentiam dictae sententiae presente populo et audiente.

[f. 6]

Die xviii mensis Julii VI Indictionis 1563.

Prefatus Don Brandanus Caxaro sacerdos abiuravit in ecclesia Sanctae Mariae Annunciationis huius Novae Civitatis in manibus Reverendissimi Domini Fratris Dominici Cubelles Episcopi Melivetani et Inquisitoris &c. Qui Reverendissimus Dominus Inquisitor Episcopus in forma Ecclesiae consueta absolvit, presentibus Reverendis Militibus Sancti Johannis Hierosolymitani Dominis Fratre Georgio de Sancto Johanne et Fratre Melchiore de Monserrat et aliis quam plurimis testibus.

A.I.M., Proc. Prae 1A (Liber diversorum actorum Quinternus Primus 1563–84)

[f. 1]

Supplicatio pro presbitero Brandano de Caxario (10.viii.1563)

Illustrissime et Reverendissime Domine Praesul Melivetane et Inquisitor generalis. *Ante te est omne desiderium meum et gemitus meus non est tibi absconditus*²

Humilis et indignus nominari presbiter ego Brandanus de Caxario Vestri Illustrissimi et Reverendissimi Domini subditus breviter et humiliter supplico cum huc usque quasi iam mensis est ad unguem sub debita et omnifaria humilitate et devotione penitentiam mihi iniunctam per Vestram Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem supplico iterum atque iterum genuis intimatis amore Jesu Christi pro nobis crucifixi quibus Vestra Illustrissima et Reverendissima Dominatio velit et dignetur patientiam seu habitellum quem huc usque defero auferre et auferri mandare de reliquis contentis in sententia ablatis et iniunctis et de quibus privatus et suspensus existo prout videbitur Vestra Illustrissima. et Reverendissima. Dominatio ipsummet restitui Dominum nostrum Jesum Christum iugiter rogo ut dies longinquos tribute, conservet, et secundet ad votum et post huius vitae curriculum ad gloriam eternam sibi paratam perducat, Amen.

Et ita supplicat ut Altissimus &c. Si quod fortasse verbum male per me appositum illud deleas, corrigas, et emendes.

2 Ps. 37.10.

Rescriptum

Sua Reverendissima Dominatio providit et mandat quod Dominica sequenti se presentet in Ecclesia Cathedrali ad peragendum penitentiam supra iniunctam et deinde providebitur circa patientiam.

Datum in Palatio Episcopali die decima mensis Augusti 1563.

Alexander Abel Magister Notarius Officii Sanctissimae Inquisitionis de mandato.

[f. 1v.]

Supplicatio pro presbitero Brandano Caxario (17.viii.1563)

Illustrissimo et Reverendissimo Monsignor Episcopo di Malta et Inquisitor General dignissimo.

Lo povero et humili Don Brandano Caxaro subdito et servitor de Vostra. Illustrissima. et Reverendissima. Signoria brevemente supplicando expone che havendo fatto la debita obedientia circa la penitentia li estata iniuncta in la ecclesia della Nuntiata di questa Nova Cita di Malta et supplicato a Vostra. Illustrissima. et Reverendissima. Signoria et per suo decreto commanda che se dovesse presentare in la Dominica sequenti quale gia passata et da po li providesse circa la patientia come per quello si demostra et havendo adimplito il commandamento di Vostra. Illustrissima. et Reverendissima. Signoria ricorre a quella fonte di pieta bonta et clementia quale di continuo non manca concedere beneficii et gratii per questo supplica poplitibus succiduis si digna fare et concidirli gratia che li sia tolta la dicta patientia bene adosso. Per la qualcosa restera pregando Dio nostro Signore per la longa vita felichi et prospero stato de Vostra Illustrissima. et Reverendissima. insieme con sua Sacra et Sancta Congregatione, et ita supplicat ut Altissimus &c.

Rescriptum

Sua Reverendissima Dominatio ex gratia concedit supplicatori quod non teneatur estare diebus festivis in ecclesia iuxta formam penitentis sibi iniunctam et circa patientiam providebitur.

Datum in Aula Secreti Sancti Offitii die xvii mensis Augusti VI Indictionis 1563.

Alexander Habel Magister Notarius Offitii Sanctissimae Inquisitoris de mandato.

[f. 2]

Die ultimo mensis Septembris VII Indictionis 1563.

Prenominatus Don Brandanus Caxaro se humiliter presentavit in ecclesia Cathedrali Notabilis Civitatis Melitae coram Reverendissimo Domino Fratre

Dominico Cubelles Episcopo et Inquisitore et genibus flexis osculatus fuit pedes dicti Reverendissimi. Domini Episcopi et deinde humiliter accedendo ad canonicos osculatus fuit manus eorum cum patientia sive habitello iuxta penitentiam sibi per Offitium Sanctae Inquisitionis iniunctam. Qua sententia facta, idem Reverendissimus Dominus Episcopus misericordia motus iussit officialibus ut dictam patientiam sive habitellum auferant de super dicto Donno Brandano illamque patientiam impendant cum epithafio ut moris est in dicta Cathedrali. Vnde.

II

De homicidio Donnae Annae de Gusman

anno 1598–99

auctore Ascanio Surdo iudice Magnae Curiae Castellaniae Melitensis

N(ational) A(rchives) M(alta), 92/04, Box 35 (Registrum Provisionarum Sententiarum anni 1594–99).

(18.xii.1598)

Christi nomine invocato.

Nos Ascanius Surdus Vtriusque Juris Doctor Magnae Curiae Castellaniae Melitensis in civilibus et criminalibus iudex ordinarius, viso presenti processu coram nobis, et in ipsa Magna Curia criminaliter vertente inter specialem Dominum Jacobum Muscat V.I.D. dicte Curiae Fisci Patronum denuntiantem ac prosequentem, et Xehebodin bin Mihammed atque Cortesam Sans denuntiatos, et prosecutos de homicidio, et ex eo quia in temporibus, et locis in denuntiattione contentis habentes ipsi denuntiati pre oculis inimicum humani generis scienter dolose, appostato modo, ac proditorie, et appensate, habito colloquio atque tractatu in pluribus vicibus cum Victoria serva miserandae quondam Donnae Annae de Gusman de interficiendo ipsam Donnā Annam eiusque pecunias, et bona surripiendo sese unanimes, et concordēs reduxerunt ad domum ipsius miserandae quondam Donne Annae, et in quadam cammera se absconderunt, dicta Victoria sciente, et consentiente hoc inter eos ipsarumque Victoriam firmato ordine, et deliberatione quod aule januam sine ullo repagulo eis relinqueret utque eorum detertabilem, et nefariam atque facinorosas deliberationem executioni demandarent circa horam dimedie noctis ascenderunt, et existente janua ipsius aule minime clausa dictaque Victoria expectante retro ipsum ostium ingressi sunt ad cubiculum ubi jacebat in eius lecto dormiens ipsa miseranda Donna Anna de Gusman quam quidem stragulo quo opercebatur atque tegebatur dantes sibi invicem, et vicissim auxilium suffocaverunt, et interfecerunt ac facinus facinori addentes atque in eorum malis operationibus perseverantes furto subtraxerunt pecunias et raubas easque inter se diviserunt, et in usus ac commoditates proprias converterunt, et applicaverunt et pro ut melius ac latius continetur in

ipsa denuntiacione facta sub die tertia Decembris mensis instantis, visis testibus examinatis contra eosdem denunciatos eorumque constitutis, ac viso dominicali rescripto emanato sub die octavo predicti mensis quo nobis in hac causa datur facultas atque potestas procedendi ex abrupto, nec non visa confessione ipsius Cortese sponte facta, ac visa et ponderata confessione dicti Xehebedin in loco tormentorum facta atque per eum in banco juris sponte ratificata, viso termino dato dictis denunciatis ad se defendendum ac pariter Casparo Talavera tanquam domino predicti Xehebedin, ad defendendum prenomiatum eius servum qui nec in termino neque post ipsum terminum aliquid allegare, aut deducere curaverunt, et denique plenam de omnibus relationem fecimus Illmo et Rmo Domino Magno Magistro et Principi nostro dignissimo qui nobis mandavit ut jus et justiciam ministraremus, quare sententiamus, condemnamus, et cogi volumus, ac mandamus quod dictus Xehebedin trahatur per terram tuba precanente suum scelus, ac ducatur per loca solita et consueta huius Civitatis Vallettae ac forcipe per frusta scindatur atque lanietur ipsique Xehebedin ante fores domus predictae miserande quondam Donne Annae manus dextera amputetur, et deinde reducatur ad locum furcarum, et in eis populo aspiciente in exemplum et terrorem ceterarum suspendatur donec anima sua a corpore separetur ipsiusque cadaver in quatuor partes scindatur et dividatur una pars affixa remaneat in ipsis furcis alie vero partes affixae in tribus lignis erigantur una in loco appellato *la punta delle forche* alia in loco dicto *la Mandra* et alia in loco appellato *ta Robu* dicta autem manus amputata et caput ipsius ponantur in furca que est erecta in Civitate Victoriosa, et dicta Cortesa Sans pariter ducatur per ipsa loca solita et consueta tuba precanente suum scelus atque ad locum furcarum reducatur et in eis populo aspiciente ut ceteris sit exemplum et terror suspendatur donec anima sua a corpore separetur committentes executiones presentis nostre sententiae Magnifico Andreae Marcontal Magno Vice Comiti salva gratia, et indulgentia, prefati Illustrissimi Domini nostri Principis, et hanc nostam sententiam, et.

Ascanius Surdus iudex

Die decima octava mensis Decembris XII indictionis 1598 lata et promulgata fuit, et est supradicta sententia per Admodum Specialem Dominum Judicem in ea nominatum pro Tribunali sedentem, et de eius ordine et mandato lecta, et publicata per me Magistrum Notarium dicte Curiae presente Speciali Domino Jacobo Muscato V.I.D. Fisci Patrono petente, et instante presentibus etiam Cortesa Sans, et Xehebedin bin Mihammed mauro genibus flexis audientibus, et intelligentibus coram Speciali Domino Francisco Garibbo, Bartholomeo Tabuni, et Antonio Turrensi V.I. Doctoribus testibus. Vnde.

N.A.M., 92/04, Box 35 (9.ii.1599)

Christi nomine invocato

Nos Ascanius Surdus V.I.D. Magnae Curiae Castellaniae Melitensis in civilibus et criminalibus iudex ordinarius, viso presenti processu coram nobis et in ipsa curia criminaliter vertente inter Specialem Dominum Jacobum Moscat V.I.D. dicte Curie Fisci Patronum denuntiantem et prosequentem et Victoriam ethiope servam miserande quondam Donne Annae de Gusman denunciatae et prosectam de homicidio proditorie et appensate perpetrato in personam dictae miserandae quondam Donnae Annae eius dominae et de aliis prout melius et latius continetur in ipsi processu et denuntiatioe in actis dicte curie redacta sub die tertia mensis Decembris proxime preteriti visis testibus examinatis contra eandem ac visis et ponderatis eius constitutis et confessionibus sponte factis viso termino dato ad se defendendum dictae Victoriae quae nec in termino nec post ipsum terminum aliquid allegavit neque dixit, ac viso dominicali decreto dato sub die octava eiusdem mensis Decembris, quo quidem in huiusmodi causa facultatem habemus procedendi ex abrupto et dispensativo modo, ac consideratis maturae considerandis plenam de omnibus relationem fecimus Illustrissimo Domino Magno Magistro et Principi nostro dignissimo, qui nobis mandavit ut jus et iusticiam ministraremus, quare pronuntiamus, sententiamus, condemnamus, et cogi volumus ac mandamus quod dicta Victoria ducatur per loca solita et consueta huius Civitatis Valletae tuba precanente suum scelus eidemque Victorie ante fores domus ipsius miserandae quondam Donne Annae manus dextera amputetur et de inde reducatur ad locum furcarum et in eis populo aspiciente in exemplum et terrorem ceterorum suspendatur, donec anima sua a corpore separetur ipsique cadaver in quatuor partes scindatur et dividatur, una pars affixa remaneat in ipsis furcis, alie vero partes affixe in tribus lignis erigantur, una in loco appellato *la punta delle furche* alia in loco dicto *la Mandra*, et alia in loco appellato *ta robu* committentes executionem presentis nostrae sententiae Magnifico Andreae Marcontal Magno Vice Comiti dictae Curiae salva gratia et indulgentia dicti Illustrissimi Domini nostri Principis et hanc nostram sententiam.

Ascanius Surdus iudex.

Die nona mensis Februarii XII lindictionis 1599 instante et petente Speciali Domino Jacobo Muscat V.I.D. Fisci Patroni et audiente et intelligente et de mandato multum Specialis Domini Iudicis predicti pro Tribunali sedentis lecta, lata, et promulgata fuit et est presens suprascripta sententia per me Notarium Giorgium Zilivo dictae Magnae Curiae Castellaniae Melitensis Magistrum Notarium presente Victoria ethiope serva miserandae quondam Donnae Annae genibus flexis audiente et intelligente coram Specialibus Dominis Bartholomeo Tabuni V.I.D., Joseph Turrensi V.I.D., Petro Bonnici et Joanne Petro Sans testibus. Vnde.

III

**De obitu Joannis Francisci Habela, Vice Cancellarii et Historici
auctore tabellione Michaele Ralli
anno 1655**

N(otarial) A(rchives) V(alletta), Not. Michael Ralli, R412/19.

[f. 504v]

Die quarto mensis Maij octavae Indictionis 1655.

Perillustris et Reverendissimus Dominus Commendatarius Frater Joannes Franciscus Habela [f. 505] Juris Vtriusque Doctor Religiosus, et Vice-Cancellarius Sacrae Religionis Hierosolimitanae qui in diebus suis fuit vir omni virtute, et doctrina praeditus, hodie a retentione urinae graviter oppressus diem suum clausit extremum, cuius animam quemadmodum pie, et religiose in hoc saeculo vixit, ad caelos advolasse, et Sanctorum consortio collocata fuisse pie credendum est; Vnde ad futuram tanti viri memoriam facta fuit, et est per me notarium infrascriptum praesens nota, Melitae in hac Civitate Vallettae anno, menses, die et Indictione quibus supra.

Ita est.

Notarius Michael Ralli.

IIIa

De possessione tenementi domorum et viridarii

**nuncupati di S. Giacomo siti in collina appellata tal Cortin in contrata della
Marsa in quo olim habitabat Joannes Franciscus Habela**

N.A.V., Not. Michael Ralli, R412/19 (4.v.1655).

[f. 505v]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen.

Anno a Nativitate eiusdem millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, die vero quarta mensis Maij hora secunda post meridiem indictione octava.

Tenore praesentis publici possessionis instrumenti cunctis pateat evidenter, et sit notum, quod cum alias quondam Perillustris et Reverendissimus Dominus bona memoria Commendatarius Frater Joannes Franciscus Habela Iuris Vtriusque Doctor Sacrae Religionis Hierosolymitanae Vice Cancellarius insignis, atque praeclarus (cuius anima et memoria sit semper benedicta) commutando alteram per eum prius factam ad favorem aliarum personarum donationem irrevocabilem fecerit ad favorem Venerandi Collegij Societatis Jesu huius Civitatis Vallettae de administratione, et usufructu sui tenementi domorum, et viridarij secum coniuncti, et annexi nuncupati di S. Giacomo siti in collina appellata tal Cortin in contrata della Marsa cum iuribus, et pertinentijs suorum omnibus, et singulis, certis suis

finibus limitatam, quae donatio suum debitum sortitura esset effectum statim secuta morte ipsius Domini Donatoris, qui in huiusmodi donationis instrumento ordinaverit, quod proprietas, et dominium bonorum praedictorum remanere deberent (prout erant) penes Venerandum Sacellum, seu Cappellam sub titulo Sancti Jacobi Apostoli Venerandae Linguae Castellae, et Portugalliae, sitam intus Ecclesiam Maiorem Conventualem Sancti Joannis Baptistae dictae Sacrae Religionis in perpetuum sub onere tamen imposito dicto Venerando Collegio donatario, quod vita perdurante dominorum Don **[f. 506]** Eugenij Testaferrata, et Trophimi Borgij di Abela suorum pronepotum per eum ibi vocatorum, et nominatorum (si post obitum eiusdem Domini Donatoris superstites remanissent) ipsum Collegium singulis annis solvere teneretur, et deberet, primo nempe dicto Don Eugenio, eoque mortuo, dicto Trophimo scuta decem auri de tarenis quatuordecim pro scuto, et post amborum mortem huiusmodi annuam prestationem in perpetuum continuare et facere deberet Perillustribus Dominis Procuratoribus dictae Venerandae Linguae Castellae, et Portugalliae pro accensione lampadis dictae Venerandae Cappellae Sancti Jacobi, reservato nihilominus eidem Domino Donatori ususfructu de administratione huiusmodi sua vita perdurante nec non sub quibusdam alijs declarationibus late contentis, et expressis in huiusmodi donationis instrumento celebrato in actis meis infrascripti Notarij sub die primo mensis Octobris VI Indictionis 1637 ad quod in omnibus, et per omnia relatio habeatur, et non aliter &c.

Cumque (sicut Altissimo placuit) praedictus Dominus Vicecancellarius Donator hoc mane vitam cum morte commutaverit, quem ego infrascriptus notarius (profusus lacrimis scribens) mortuum vidi, et in sepulchro poni ob cuius obitum dicta donatio suum plenarium sortita fuit effectum.

Idecirco hodie praesenti die praetitolato Perillustris Domini Frater Joannes Brandas et Commendatarius Frater Don Franciscus Xeldre dicti Ordinis milites, et procuratores dictae Venerandae Linguae Castellae, et Portugalliae, cui vigore supradicti donationis instrumenti competit, et spectat proprietas, et dominium, nec non Admodum Reverendus Laurentius Bonici **[f. 506v]** procurator dicti Venerandi Collegij Societatis Jesu donatarij administrationis, et ususfructus perpetui supradictorum bonorum mihi notario infrascripto cogniti quilibet ipsorum pro suo proprio, et peculiari interesse respective ut supra, volentes facta eorum quibus supra nominibus caute agere, et cauthelam adderi cauthelis, tenore praesentis publici instrumenti coram me notario, et testibus infrascriptis intraverunt, et intrant, ceperunt, et capiunt atque adepti fuerunt, et sunt liberam, et expeditam possessionem supradicti tenimenti domorum dictique viridarij illi annexi et ecclesia sub titulo Sancti Angeli Custodis in ipso loco constructa cum juribus, et pertinentijs eorum omnibus, et singulis, et hoc per aperitionem, et clausionem januarum, pedum positionem, et deambulationem, ramore ex arboribus, et oltrum de terra evulsionem, gustum aquae, aliaque signa possessionem huiusmodi denotantia:

protestantes quod per eorum a dicto loco recessum nullo modo intendunt captam possessionem praedictam dimittere sed illam [...] retinere.

Vnde ad futuram rei memoriam ac certitudinem, et cautelam omnium, et singulorum, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum ad petitionem, requisitionem, et instantiam supradictorum Dominorum Procuratorum dictae Venerandae Linguae Castellae, et Portugalliae, et Reverendi Procuratoris dicti Venerandi Collegij Societatis Jesu praesentium requirentium, et instantium, factum fuit, et est per me infrascriptum notarium praesens publicum possessionis instrumentum suis loco, et tempore valiturum Melitae in eodem loco *del Cortin* praesentibus ibidem Consalvo Grec, Parisio Grec eius filio, et Dionysio Vella testibus ad praemissa vocatis &c.

IV

De discessu Notarii Joannis Francisci Alboranti

ab insula Melitae de anno 1713 ac de aliis rebus gestis usque in patria rediit anno 1720

N.A.V., Not. Joannes Franciscus Alboranti, R 13/4, f. 1r-v.

[f. 1]

In nomine Sacrosantae, et Individuae Trinitatis Patris, et Filij, et Spiritus Sancti, et Gloriosissimae semper Virginis Mariae sine labe conceptae, Sanctorumque Ioannis Baptistae, et Pauli nostrorum Patronorum, totiusque caelestis Curiae Amen.

Anno a Nativitate Dominica millesimo septingentesimo vigesimo.

Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri Clementis undecimi anno vigesimo, Dominante Serenissimo Domino Fratre Marco Antonio Zondadari Sacrae Religionis Hierosolymitanae Magno Magistro, harumque insularum Melitae, et Gauli Principe dignissimo. Ego Joannes Franciscus Alboranti Melitensis magistrali auctoritate publicus Notarius, et Tabellio, ac iudex ordinarius in hiscemet Insulis, ac alibi in Dominio dictae Sacrae Religionis, ex quo ab eadem Insula Melitae de anno 1713 discedere consulto decreveram, quemadmodum die xvj mensis Septembris eiusdem anni cum tota mea familia palam, et libere, ac cum solitis literis patentibus per Magnam Curiam Castellaniae expeditis de eodemmet die profectus sum, constituto prius Magnifico Joseph Zannelli in meum generalem procuratorem in vim publici instrumenti, Civitatem Augustae Regni Siciliae appuli animo dictum Magnificum de Zannelli ibidem expectandi, iuxta concordatum inter nos praecedenter ad mei discessum ex hac Insula habitum, ad cuius exhortatione, et consilium constitueram secum clarissimam, praestantissimamque Venetiarum Urbem petere. Appulso autem successive in praedictam Civitatem Augustae praefato Magnifico de Zannelli cum eius familia, ambo comites ad praenarratam

Venetiarum Urbem perreximus. Iter tamen agendo Dominam Sapientiam primam meam coniugem morte praeventam amisi, quam lugens humari curavi in Parochiali Ecclesia Insulae Lagustae in Adriatico mari situatae, et Reipublicae Ragusiae subiectae. Venetias ex inde adventus die octavo Februarij anni 1715 moram usque ad die [f. 1v] xxiiij mensis Junij currentis anni 1720: ibidem traxi, qua temporis intercapedine cum Domina Maria Polyxena Belli Melitensi saepedicti de Zannelli nepte, ibique tunc degente ad secundas pertransij nuptias die iij Junij 1715, coelebratis iuxta ritum Sacrae Romanae Ecclesiae, et ad formam Sacri Tridentini Concilij sponsalibus in Veneranda Ecclesia Sancti Michaelis Murani, assistente Reverendo Domino Thoma Recaldini Parocho, et Rectore Parochialis Ecclesiae, et Collegiatae Sanctorum Apostolorum praedictae Civitatis Venetiarum; necessitate autem subinde cogente ob plura urgentia mea negotia eximio animi merore eam deserere obstrictus fui, et ad hanc Insulam Melitae redij die xxvij mensis Julij eiusdem currentis anni 1720; et ex quo secuto meo discessu praedicto omnia, et singula mea Registra, et Protocolla actorum per me usque tunc confectorum ne deperdi, aut adulterari fortasse contingeret, traslata fuere in Archivio Actorum Notarilium defunctorum huius Civitatis Vallettae de die iij mensis Augusti eiusdem anni 1720; supplicem libellum porrexi praelibato Domino Serenissimo Principi ad effectum eadem Registra, et Protocolla rehabendi, illumque in Registro Julianarum Archivij praedicti originalem reliqui inchartatum, cuius quidem copia legitime extra hic insuta habetur.

Quoniam vero omnes contractus in Indictionibus annorum 1711, 1712, et 1713 per me confecti parvum complectuntur volumen, ad illud proinde competenter, et tribus aliis praecedentibus haud inaequale gliscendum omnes, et singulos contractus tam intervivos, quam ultimarum voluntatum quos in praesenti labente xij Indictione, et sequenti, Divina favente clementia, conficiam, eidem quarto volumini subnectere constitui, et insinuari.

V

**De transitu Melita in insulam Gaudisii ad ecclesias in eadem insula
visitandas per Episcopum Fratrem Paulum Alpheran de Bussan**

auctore Donno Dominico Falson

anno 1736

**A(rchivum) C(uriae) E(piscopalis) M(elitensis), V(isitatio) P(astoralis) 33 Fra
Paulus Alpheran de Bussan 1736–40.**

[p. 556]

Visitatio Ecclesiarum Insulae Gaudi

Illustrissimus et Reverendissus Dominus Frater Paulus Alpheran de Bussan Episcopus Melitensis &c. volens suam Sanctam Secundam, et Generalem Visitationem ob aestivos calores intermissam reassumere de die secunda mensis Septembris 1736 praemisit Reverendos Don Archangelum Debono Parochum Ecclesiae Parochialis Casalis Attard, Don Fortunatum Vella Parochum Ecclesiae Parochialis Civitatis Sengleae, et Don Joannem Paulum Zammit Parochum Ecclesiae Parochialis Casalis Micabibae in insulam Gaudisii ad Sacras Missiones peragendas, populumque disponendum pro Sanctae Visitationis fructibus excipiendis.

Die autem Sabbati XV ejusdem mensis Septembris de mane una cum Perillustri ac Reverendissimo Domino suo Vicario Generali Iuris Vtriusque Doctore Don Adriano Gurgion, et Perillustri ac Admodum Reverendo Domino Iuris Vtriusque Doctore Don Joseph Constantio Canonici suae Cathedralis Ecclesiae nec non cum Reverendo Domino Fratre Melchiore Alpheran de Bussan Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani Priore Aquensi suo germano fratre convisitoribus, me Dominico Falson Caeremoniario, et Cancellario huius Sanctae Visitationis, Reverendo Don Salvatore Micallef Promotore Fiscali Generali, ac aliis de sua familia, voluit conscendere naves, et transfretare, sed adversus ventus maximo flatu id fieri prohibuit, propterea iter terrestre aggressus, se contulit ad portum Sancti Juliani appellatum, et in aedes Illustrissimi Bajulivi Joannis Baptistae Spinula se recepit, facilius inde discessurus si venti post meridiem cessassent. Ipsi vero increbrescentibus coactus est etiam illic pernoctare. Ast noctu vi ventorum dimissa. Quarta vigilia noctis, id est hora tertia post mediam noctem, navim conscendens mari se commisit subsequentibus aliis naviculis familiae, et onerariis comitante speculatoria sive exploratoria navi Portus Sacrae Religionis, et quicumque venti erant. Ars non abfuerit, quin velis, remisque in insulam salvus et incolumis hora octava de mane pervenisset.

Cum autem prope insulam Comini transisset, septimo boatu bombardarum, elevato prius vexillo, signum dedit Turris praealta ejusdem insulae Comini. Ad littus Migiari appulsus, invenit Admodum Reverendum Don Adeodatum Franciscum Formosa Archipresbyterum Collegiatae Ecclesiae, et Curiae Ecclesiasticae

antedictae Insulae Provicarium, et nonnullos de clero, et populo convenientes ad oram [p. 557] marittimam excipiendum Dominationem Suam Illustrissimam, et Reverendissimam cui etiam obviam se fecit agmen equestre ducens Eques Frater Marbeuf¹ Ordinis Sancti Joannis Hierosolimitani, suffectus loco Illustrissimi Equitis praedicti Ordinis Fratris du Peron gubernatoris Locumtenens absentis ab hac insula, qui honorifice salutavit eum. Tunc Turris Garzes in culmine posita ad tutamen littus, novies tormenta bellica in honorem explosit. Illustrissimus autem et Reverendissimus Dominus hilari, ac benigno vultu omnes peramanter excepit, et equitando prius, postea in rheda vectus, versus Magnum Castrum iter direxit praecedentibus Militia equestri, catafracta, et clero in equitatu concomitantibus, et subsequenter dictis Dominis Convisitatoribus, Vice-Locumtenente, et familia tota.

Cum ad fines suburbii pervenisset inpromptu reperit Reverendum Capitulum, Clerum, Saecularem Magistratum, Clerum Regularem, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, et Conventualium Sancti Francisci, et magnam multitudinem populi in laetitia et exultatione expectantes adventum Dominationis Suae Illustrissimae, et Reverendissimae. Ipseque quem natura genuit humanum de rheda egressus laetanter excepit omnes ad osculum manus. Statimque praefatus Eques Vicemgerens Locumtenens petivit excusari Illustrissimum Dominum Fratrem Petrum de Peroun equitem Sacrae Religionis Hierosolimitanae Gubernatorem in hac insula qui propter notam infirmitatem domi detentus, non poterat solitum praestare obsequium. Ab his omnibus honoris causa deductus est ad aedes Baronis Joannis Baptistae Viani positas in suburbio Magni Castrum praedicti, paratas pro sui mansione. Testantibus interim gaudia sui adventus explosis e propugnaculo quod Magnum Castrum vocant, quatuordecim aheneis tormentis, nec non pulsu solemnibus campanarum ecclesiarum Matricis, Parochialis Sancti Georgii, Conventuum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, et Conventualium Sancti Francisci. Postquam autem paululum quieverit, audivit Sacrosanctum Missae Sacrificium per me Dominicum Falson celebratum in altari portabili, erecto in aula dictarum aedium.

[p. 558] Visitatio Matricis Collegiatae Ecclesiae sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis Insulae Gauli aliarumque de ejusdem pertinentiis.

Feria Secunda post Dominicam XVII post Pentecostes die XVII Septembris 1736 hora octava de mane.

Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Frater Paulus Alpheran de Bussan Episcopus Melitensis cappa magna ornatus ac galero pontificali protectus praecedentibus confraternitatibus, clero regulari et saeculari, ac Capitulo Collegiatae in habitu choralis rocchetto scilicet et mozzetta induto associantibus Perillustri ac Reverendissimo Domino Iuris Vtriusque Doctore Don Adriano Gurgion et Perillustri ac Admodum Reverendo Domino Iuris Vtriusque Doctore Don Joseph Constantio canonicis Sanctae Cathedralis Ecclesiae convisitatoribus, qui rocchetto

et mozzetta induti processerunt post Reverendum Capitulum Collegiatae immediate ante Dominationem Suam Illustrissimam, et Reverendissimam, subsequente Familia et populo in magna copia e dicta domo processionaliter progrediens sub baldacchino delato a quatuor Juratis Iuris Vtriusque Doctore Thoma Carbot iudice, Artis et Medicinae Doctore Joanne Nicolao Gauci, Notario Stephano Vella, et Blasio Grima accessit ad praedictam Matricem et Collegiatam Ecclesiam, cantantibus musicis, et clero hymnum *Veni Creator Spiritus*.

Ad fores ipsius Ecclesiae genuflexus super pulvinum strato tapete osculatus est Crucem sibi porrectam ab Admodum Reverendum Don Adeodato Francisco Formosa Archipresbytero pluviali decorato, ibique fuerunt expletae reliquae ceremoniae descriptae in Pontificali Romano canentibus interim musicis Antiphona *Sacerdos et Pontifex* et successive hymnum *Te Deum*, et eodem processionali ordine ventus est ad altare majus et super pulvinar genuflexus donec Reverendus Archipresbyter praedictus effudit preces super Amplitudinem Suam Illustrissimam, et Reverendissimam. Qui postea stans ad altare impartitus est solemnem benedictionem, et in sua sede elevata [p. 559] sub baldacchino in cornu Epistolae cooperto capite sedens ad obedientiam admisit curvatos genu Archipresbyterum, Canonicos, ac Clerum tum Matricis, quam Parochialis suburbii singillatim vocatos. Sacris deinde ornatus vestibus Missam celebravit votivam de Spiritu Sancto, cui administrabant praedicti Domini Canonici Cathedralis convisitatores cantantibus musicis *Kirie, Gloria in Excelsis, Credo, Sanctus, Agnus Dei* more Romano. Infra dictarum Missarum solemniam, habuit concionem ad populum Reverendus Don Fortunatus Vella Parochus Civitatis Sengleae unus ex Missionariis supra numeratis sumpto themate: *qui manducat me ipse vivet propter me*³ de effectu bonae communionis. Per me autem Dominicum Falson fuerunt publicatae solitae monitiones duplici lingua Italica, scilicet, et materna, et sumpta communionem Dominatio Sua Illustrissima, et Reverendissima cibavit ex adipe frumenti clericos, et quamplures Christifideles. Missa terminata, regressus ad sedem suam, accepit stolam, et pluviale nigri coloris, ac mitram simplicem trinam absoluteionem ad praescriptum Pontificalis Romani explevit praecedentibus cum Cruce, atque canentibus psalmos, et responsoria Canonicis, et Clero Collegiatae, assistentibus et elevantibus fimbriam pluvialis praedictis Dominis Canonicis Cathedralis, sed ministrante naviculam, et aspergillum aquae benedictae Reverendo Archipresbytero dictae Collegiatae.

Absoluteione defunctorum peracta Illustrissimus, et Reverendissimus Dominus iterato ad sedem suam, deposuit vestimenta nigri coloris, et accinctus vestimentis albis, cum Capitulo, et Clero Collegiatae ferens baculum praemanibus accessit ad sacellum positum a latere dextero Chori, et ad gradus altaris super cervicalia genuflexus, inter Canonicos Convisitatores attollentes fimbrias pluvialis jussit

3 *Joan.* 6.58.

aperiri, et extrahi de tabernaculo Sacras Pixides, et poni super Altare substrato corporali. Quod factum est per Admodum Reverendum Archipresbyterum Don Adeodatum Formosa primam, et unicam dignitatem in hac Collegiata, cui inest cura animarum, habentem stolam subtus mozzettam, et praemissis adorationibus, et debitis thurificationibus cum cantu hymni *Pange Lingua* una cum Reverendissimo Domino Don Adriano Gurgion Vicario Generali, et Admodum Reverendo Don Joseph Constantio Canonici Cathedralis Ecclesiae, nec non Fratre Melchior Alpheran de Bussan Ordinis Sancti Joannis & Priore Aquensi convisitoribus.

Visitavit Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quod &c.

[p. 700]

Die Sabbati vi Octobris 1736

Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Frater Paulus Alpheran de Bussan Episcopus Melitensis expleta totali Visitatione Ecclesiarum, et Populi Insulae Gaudiorum a die iii currentis mensis Octobris, ob exortam tempestatem coactus est permanere in dicta Insula, nec inde discedere valuit nisi hodie praetitulato die sedata jam vi ventorum; summo igitur mane datum est signum discessus boatu tormenti bellici parati ad moenia Magni Castri, et coadunata classe equestri catafracta ad ortum solis praecedentibus eadem militia equestri catafracta, quamplurimis de clero, inter quos etiam Reverendis Canonicis Collegiatae praecipue Admodum Reverendo Archipresbytero, nec non Dominis Juratis et multis de populo equitando insimul, cum Dominis Convisitoribus, atque tota Familia e domo suae mansionis discedens sonitu aenis campani omnium ecclesiarum ac boatu bombardarum Magni Castri venit ad littus maris vocatum *il Migiarro* ibique omnes praedicti de dicta insula perhumaniter osculata manu Praesulis prosperam, felicemque navigationem auspicati sunt. Amplitudo autem Sua Illustrissima et Reverendissima, elevata manu benedixit eis, et conscensa navicula continuo discessit ab Insula.

Tunc Turris Garzes salutavit cum solita explosione tormentorum bellicorum ad menia paratorum et transfretum iens sequentibus naviculis familiae et onerariis devenit ad insulam Comini visitandi causa ecclesiam ibi extractam sub titulo Beatae Mariae Virginis Fugientis in Egiptum, statimque Turris eiusdem insulae Comini recognovit, Amplitudinem Suam Illustrissimam et Reverendissimam solito boatu bombardarum, similiter nova Turris Manoel constructa in insula Gauli in cacumine collis positi e conspectu dictae insulae Comini erecto vexillo, dedit signum per tres vices explosione tormentorum bellicorum. Expleta visitatione ecclesiae iterum navim ascendit, et (licet adversantibus ventis) ad portum Sancti Juliani in insula Melitae appulit, et postquam aliquantulum quievit in aedibus Illustrissimi Bajulivi Spinula, denuo navigavit in Portum Majorem eiusdem insulae Melitae ubi cum pervenisset in quadrigo positus, salvas et incolumis receptus est in suo Palatio Civitatis Vallettae.

VI

Prologus testamenti Dominae Mariae Abela

auctore Not. Victorio Grixti

anno 1741

N.A.V., Not. Victorio Grixti, R314/3 (21.ix.1741).

[f. 27]

Die xxi mensis Septembris V indictionis 1741 tribus luminibus accensis iuxta juris dispositionem cum fuerit publicatum hoc testamentum post Salutationem Angelicam.

Cum nil [sit] tam comune hominibus, nilque tam certum quam (ut Divi Augustini utar verbis) *relictio corporis depositio sarcinae*,⁴ gravis mors scilicet, quae semel per hominem in hunc mundum introducta in homines adeo pertransiit, ut *omnes in dies moriamur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non amplius revertuntur*,⁵ et e converso nil tam iisdem incertum, quam mortis hora, nescit siquidem Homo diem suum; quod non nisi misteriose factum videtur, Divus ait Gregorius, *conditor siquidem noster latere nos voluit finem nostrum, nobisque diem mortis incognitum, ut dum semper ignoretur adesse semper credatur*.⁶ Hinc vigilandum cuique, ut qui incerti sumus temporis, quo moriamur, semper ad mortem parati accedamus.

Parari autem debemus ad mortem domui nostrae disponendo [sic ait Erechielis Isaias] *Dispone domui tuae, [f. 27v] cras enim morieris*;⁷ duplex autem [est] paranda domus, spiritualis una, temporalis alia, prima anima, ut nullo coinquinata peccato, caeleste bonum consequi, tandem mereatur, secunda vero sunt bona, et facultates, quae cum eis usi fuerimus in vita, relinquere tamen debemus post mortem; id inquit Propertius, ubi inquit,

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas;

Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.⁸

Hinc hodie personaliter constituta coram me Notario et testibus infrascriptis Domina Maria uxor Domini Josephi Abela, filia vero quondam Domini Michaelis Cassar de Casale Zabbaro sana Dei gratia corpore, mente, sensu, et intellectu, eiusque rationis bene compos, existens, prout ex illius discursu publice palam abito elicitur hodie inquam dum tempus habet, temporalem domum paratura, ut melius inde, et acuratius, nullaque sollicita cogitatione spirituales valeat parare de

4 D. Aug., *In Joannis Evangelium*, Tract. XLIII.

5 2 Sam., 14.14.

6 D. Greg., l. 12, Moral. C. 19.

7 Is., 38.1.

8 Prop., *Eleg.* III. 5. 13–14.

bonis sibi a Deo collatis salubriter disponit, cassans prius vigore praesentis omnia et cetera revocans item, et annullans omnia, et singula alia testamenta, codicillos, donationes causa mortis, ac alias quascumque voluntates per eam hactenus forte factas, tum verbis celatis, cum derogatoriis, quam aliter quomodocumque, [f. 28] et qualitercumque per acta cujusvis publici notarii, volens hoc praesens suum nuncupativum testamentum ceteris omnibus prevaleat, et prevalere debent, suumque sortiatur effectum, in quo sic disponit.

Primo igitur elevatis oculis in caelum animam suam Omnipotenti, et Immortali Deo, ejusque Gloriosissimae Semper Virgini, et Matri Mariae commendavit, et commendat, cadaver vero suum secuta ejus morte humari, et sepeliri voluit in Veneranda Ecclesia Parrochiali Casalis Zabbar sub titulo Beatae Mariae Virginis Gratiarum vocatur, in quo ad praesens inhabitat. In suffragium vero animae suae, et pro obtinenda venia suorum peccatorum voluit, et mandavit erogari debere ex sua hereditate scuta biscentum, eaque applicari ab infrascriptis ejus Dominis heredibus universalis in funeribus faciendis die primo, secundo, tertio, septimo, trigesimo et anniversario sui obitus &c.

VII

Prologus matrimonialis instrumenti inter D. Mariam Vincentiam Ciantar filiam Comitis Joannis Antonii Ciantar et D. Balthassarem Fenech contracti auctore Notario Dominico Hieronymo Bonavita

anno 1742

N.A.V., Not. Dominicus Hieronymus Bonavita, R62/31 (18.xii.1742) ff. 251v-261v. [f. 251]

In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen.

Anno a Nativitate eiusdem millesimo septingentesimo quadragésimo secundo indictione VI die xviii mensis Decembris.

Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri Domini Benedicti Divina providentia Papae XIV anno ejus tertio, dominante Serenissimo, et Reverendissimo Domino Fratre Don Emmanuele Pinto Sacrae Domus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, et Sancti Sepulcri Dominici Magno Magistro, harumque Insularum Melitae, et Gaulos Principe nostro dignissimo, quos Deus diu incolumes servare dignetur Amen.

Rerum omnium sapientissimus Opifex cum caelum perfecisset omnibusque numeris absolvisset terram, hominem ad sui imaginem, et similitudinem creavit, de cuius dormientis costis pro sui dulci societate mulierem fecit [f. 252] inter quos matrimonium instituit, ut liberos gignendo, vitam ceu lampadem aliis post

alios traderent, deditque eis dominium terrae, ac imperium in omnia animantia (Genesis, Capite primo, no: 28).

Ob tamen primi parentis lapsum, animalia seditionem adversus genus humanum concitavere, et terra a dominio hominum se substraxit, tribulosque, et spinas germinavit, et germinat, et si fructus producit, hominem suae ditioni subdens, quasi insolutum consumpti laboris hos tribuit (Genesis, dicto Capite 3, numero 23 et 28).

Laboraverunt itaque homines primis temporibus, et vixerunt in communi, simul vero pacati vitam amplius agere nequentes ad evitanda jurgia, quae, et antiquitus succedebant ut inter pastores Abraha, et Loth, et in dies videntur, ad invenerunt divisionem, et quisque propria ab alieno dominio abstracta possedit, possessaque filiis servavit, et dedit, ut Raguel in dotem sacrae filiae suae de omnibus quae possidebat dimidiam partem dedit Tobiae (Tobiae, Capite 8, numero 24).

Haec filiorum dotatio tam equa visa fuit ut humana lex eam comprobaverit, qua propter statuit parentes teneri, alere, et dotare liberos nisa oraculo Spiritus Sancti [f. 252v] sic agentis 'domus, [et] divitiae dantur a parentibus, a Domino autem uxor prudens' (Proverbiorum, Capite xix, numero 14o).

Cupientes ergo infrascripti domini sponsi, et domini sponsorum parentes ea quae a Domino impetrantur, et quae per Dominum medio parentum dantur in publicam scripturam redigere, et perficere, ut eorum generatio regenerationi praeparetur, ad praesens matrimoniale instrumentum devenerunt, meque infrascriptum notarium, in exclusionem aliorum notariorum ad confectionem ejusdem, proprio motu rogaverunt.

Pro felici itaque, et prospero matrimonio in Dei, Deiparaeque Virginis sine labe Conceptae nomine faeliciter contrahendo per verba de praesenti mutuo consensu, et juramento hinc inde legitime intervenientibus firmato, ad morem, rithum, et consuetudinem Romanorum in perpetuum, quod scilicet infrascriptorum dominorum sponsorum bona num-quam confundantur inter Perillustrem Dominam Mariam Vincenciam Willelminam filiam virginem legitimam, et naturalem Domini Comitis Joannis Antonij Ciantar Patritij Romani, et Comitissae Dominae Theodoraе Mariae Josepha Wizini Paleologo jugalium civem hujus Civitatis Vallettae mihi notario [f. 253] infrascripto cognitam praesentem, et contrahentem sponsam ex una, et Perillustrem Dominum Balthassarem Fenech Bonnici filium legitimum, et naturalem Domini Josephi Fenech, et Domina Rosaliae Bonnici jugalium civem Civitatis Victoriosae mihi notario etiam cognitum praesentem, et contrahentem sponsum ex altera partibus.

Cujus quidem prosperi et faelicis matrimonij contemplatione, decore, et oneribus sustinendis &c.

